

Iamque meus longe Protesilaus erat.  
 Dum potui spectare virum, spectare iuvabat,  
     Sumque tuos oculos usque secuta meis;  
 Ut te non poteram, poteram tua vela videre,  
 20 Vela diu vultus detinuere meos;  
 At postquam nec te nec vela fugacia vidi,  
     Et quod spectarem, nil nisi pontus erat,  
 Lux quoque tecum abiit, tenebrisque exanguis obortis  
     Succiduo dicor procubuisse genu.  
 25 Vix socer Iphiclus, vix me grandaeus Acastus,  
     Vix mater gelida maesta refecit aqua;  
 Officium fecere pium, sed inutile nobis:  
     Indignor miserae non licuisse mori.  
 Ut rediit animus, pariter rediere dolores;  
 30 Pectora legitimus casta momordit amor.  
 Nec mihi pectendos curast praebere capillos,  
     Nec libet aurata corpora veste tegi:  
 Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta,  
     Creditur, huc illuc, qua furor egit, eo.  
 35 Conveniunt matres Phylaceides et mihi clamant:  
     'Indue regales, Laudamia, sinus!'  
 Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes,  
     Bella sub Iliacis moenibus ille geret;  
 Ilsa comas peftar, galea caput ille premetur;  
 40 Ipsa novas vestes, dura vir arma feret?  
 Quo possum, squalore tuos imitata labores  
     Dicar et haec belli tempora tristis agam.  
 Dyspari Priamide, damno formose tuorum,  
     Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras!  
 45 Aut te Taenariae faciem culpasser maritae,  
     Aut illi vellem displicuisse tuam!  
 Tu, qui pro rapta nimium, Menelae, laboras,  
     Ei mihi! quam multis flebilis ulti eris!  
 Di, precor, a nobis omen removete sinistrum,  
 50 Et sua det reduci vir meus arma Iovi!  
 Sed timeo, quotiens subiit miserabile bellum:  
     More nivis lacrimae sole madentis eunt.